



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

Epistola VIII. Leonis Papae IX. Ad Petrvm Damiani Eremitam. Viri sancti  
zelum laudat: & incontinentiam clericorum detestatur, & puniendam  
rescritit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

nabiliter patienterque audiantur, atque quantocius nobis laudabiliter remittantur, ne tantum laborem illos frustra arripuisse pigeat, & nos mandasse pudeat. Porro ex Amalfitano episcopo nulla tibi suboriatur suspicio, quia Romanus est omnino, & ab Amalfitanis discedens, familiariter nobiscum viuit iam pene anno integro. Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis dignetur tuam excellentiam benedicere omni benedictione spirituali, repleteque omni gaudio & pace, ut in praesenti saeculo per longa tempora feliciter domineris, & in futuro sine fine cum Rege regum & Domino dominantium regno celorum beate perfruaris, honorabilis & desiderabilis nobis in Christo fili & gloriose Augste. Amen.

## E P I S T O L A VIII.

## L E O N I S P A P A E I X.

A D P E T R V M D A M I A N I E R E M I T A M .

Viri sancti zelum laudat: & incontinentiam clericorum detestatur, & puniendam rescritbit.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei dilecto in Christo filio Petro eremitæ æternæ beatitudinis gaudium.*

**A**d splendidum nitentis pudicitiae torum, fili carissime, pio certamine, intentionem tuae mentis peruenisse, libellus, quem contra quadrimodam carnalis contagionis pollutionem honesto quidem stylo, sed honestiori ratione edidisti, manifestis documentis commendat. Subegisti quidem carnis barbariem, qui sic erexisti brachium spiritus aduersus libidinum obsecratalem. Execrabile quidem vitium, longeque segregans ab auctore virtutum, qui cum sit mundus, nihil admittit immunandum. Nec de sorte eius esse poterit, qui sordidis illecebbris subiacebit. Clerici vero, de quorum vita spurcissima flebiliter, pariterque rationabiliter tua prudentia disputauit, vere, & omnino vere ad funiculum hereditatis eius non pertinent, de quo ipsi voluptuosis se oblectationibus submouent. Quod si pudice conuersarentur, non solum templum Dei sanctum, sed ipsum etiam sanctuarium

*Concil. Tom. 25.*

O o o ij

dicerentur, in quo niueo candore conspicuus ille Dei agnus immolatur, per quem foeda totius orbis lues laatur. Tales nimirum clerici, et si non verborum, operum tamen testimonio profitentur, quia non existunt quod censemur. Quomodo enim clericus esse possit vel nominari, qui proprio arbitrio non metuit inclinari?

*Et post multa ad extremum, ubi eiusmodi canonica censura coer-  
cuit, hæc ad Petrum: Sed, fili carissime, inenarrabiliter gau-  
deo, quia exemplo conuersationis instruis, quidquid ora-  
toria facultate docuisti. Plus est enim opere docere quam  
voce. Quapropter, auctore Deo, palmam obtinebis victoriæ,  
& cum Dei & Virginis Filio lætaberis in cælesti man-  
fione, & tot mercedibus eris cumulatus, quot ereptis  
per te a diaboli laqueis fueris constipatus, & quodam-  
modo coronatus.*

EPISTOLA IX.  
LEONIS PAPÆ IX.  
AD FRANCOS.

De rebus in Concilio Rhemensi gestis.

*Leo episcopus seruus seruorum Dei fratribus & filiis catholicis  
per uniuersum regnum Francorum constitutis salutem  
& apostolicam benedictionem.*

**C**OMPERTVM caritati vestræ credimus, quod post consecrationem nostram, &c. Extat infra in fine actorum Concilii Rhemensis sub Leone.

DIPLOMA  
LEONIS PAPÆ IX.

*De concessa basilicæ Vaticanae decima oblationum.*

**B**EATE Petre apostole, ego Leo episcopus seruus tuus, & omnium seruorum Dei, de tuis donis aliquam tibi offero particulam, quam mihi fuit visum dignum & iustum curis, quibus circumdor, auferre, & tibi offerre quasi meam, cum sit tua. Quidquid enim est quod in iuribus nostris sit, licet sit parum ad conferentiam præter-